

SCRIPTA

Numéro Scripta : 188

Auteur(s) : Robert Courteuse, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : 1089, 24 avril

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert Courteuse, duc de Normandie, confirme toutes les donations faites à l'église cathédrale de Bayeux par son père Guillaume le Conquérant, roi d'Angleterre, et y ajoute quelques maisons et revenus.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., t. 1, n° IV, p. 6-8.

Texte établi d'après a

Quoniam antiquus hostis sanctæ Dei Ecclesiæ, semper excubans in ejus persecutione, bonum fieri dum nequit impedire, cum factum est quantum potest molitur minuere, id exercitium debet esse omni militanti Deo animæ christianæ ut sua condicione ad ea quæ potest opera bona nitatur assurgere, et quæ parta fuerint diligenter studeat conservare. Nobis autem principibus hujus sæculi, quos ad pacem interiorem Ecclesiæ suæ Deus quantum ad exteriora et terrena bona defensores disposuit, quosque in hoc genere negotii voluit operari, attendendum est magnopere ut ea quæ jam collata sunt ei beneficia inconcussa sibi faciamus permanere, et ex nostra parte, prout Deus facultatem dederit, curemus ampliare. Ego igitur Robertus, dux Normannorum et comes Cenomannensium, pro salutæ animæ meæ et parentum meorum, quicquid ab aliis concessum est sanctæ Mariæ Baiocensi ecclesiæ, ut ex integro semper habeat, concedo et confirmo, et de meo proprio jure hæc quæ subscribuntur, tam honorifice et quiete ut ego habeam, in perpetuum possidenda trado : videlicet, quicquid prædiorum vel de feudo habebat Ebremarus a patre meo, ea die qua monachus factus est, tam Baiocis et Rothomagi quam in ceteris partibus Normanniæ, in terris, in domibus, in monetis et in aliis redditibus ; et quicquid Samson a me habebat, tam de prædiis quam de capellaria Sancti Johannis ; et quicquid a me habebant fratres Ebremarii, Erenarius et alii, Osbertus et Vitalis ; et totam terram Tort Capel ; et terram Hugonis quæ est Rosel ; et quicquid terræ continetur inter fluvium Oræ et mare, a Veteri Ponte usque quo idem fluvius pervenit in mare, excepta terra comitis de Moritonio et terra Rannulfi quam ipse principaliter a me tenebat ; et terram Willelmi camerarii, et Roberti Girardi filii, et Agelramni filii Ilberti ; et terram Walteri Giffardi, videlicet Maisei. Reddo etiam prædictæ ecclesiæ villam de Salhuz. Do etiam apud Cadomum domum Theodorici presbiteri, et domos Vitalis Rateri filii, et omnes consuetudines quas habebam de habitatoribus ipsarum domuum, Baiocis autem domos Rannulfi Ricardi filii, et totam terram quam tenuit Turstinus filius Ansfridi a patre meo. Si quis igitur de his aliquid ecclesiæ abstulerit, ego Willelmus, Rothomagensis archiepiscopus, et ceteri coepiscopi nostri eum sub anathemate ponimus, et usque ad adventum Domini a consortio sanctorum separamus. Robertus, comes Normanniæ. Willelmus, Rothomagensis archiepiscopus. Willelmus, Dunelmensis episcopus. Gislebertus, abbas Sancti Stephani de Cadomo. Rogerus

pincerna de Ivreio. Engelrannus, filius Ilberti. Ricardus de Rederis. Willelmus, monachus. Willelmus Bertrannus. Rannulfus, filius Rannulfi vicecomitis. Hugo, filius Baldici. Rannulfus vicecomes. Nigellus de Constantino. Anno igitur ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo nono, indictione duodecima, principatus Roberti comitis anno secundo, dedicationis ejusdem ecclesiæ anno duodecimo, ordinationis Odonis ejusdem ecclesiæ episcopi anno quadragesimo, octavo kalendas mai, dum esset idem Robertus comes apud Vernonem, quoddam castrum Normanniæ, iturus in expeditionem in Frantiam : hæc, quæ supra scripta sunt, coram primatibus suis prædictæ ecclesiæ in perpetuum possidenda contradidit, contradita per hanc cartam, sigilli sui assertione firmatam posteritati mandavit.